

Werk

Titel: Copiosissima Evangeliorum Dominicalium Expositio

Autor: Bakius, Reinhardus

Verlag: lungius; Schmidius

Ort: Lübeck; Schleusingae

Jahr: 1640

Kollektion: VD17-nova

Werk Id: PPN616188471

PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PID=PPN616188471> | LOG_0014

OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=616188471>

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

In Festo Circumcisionis,

Evangelium, Luc. 2.

Epostquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum erat ab Angelo, priusquam in utero conciperetur.

Regius Psaltes Psalmum 118. his incipit: *Laudate Dominum quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia ejus. Dicat, age, ISRAEL: quoniam in aeternum misericordia ejus: dicat, quaso, domus AARON: quoniam in aeternum misericordia ejus. dicant, obsecro, omnes qui timeant Dominum: quoniam in aeternum misericordia ejus.* Davidica hæc sunt verba de Tempore, in quibus Spiritus S. non inani delectatur ταπνολογία, sed informat potius omnes omnium ordinum Christianos, quomodo novum annum, per Dei gratiam, hoc dierecurrentem, justè auspicari debeant. Per ISRAELEM enim, quid impedit, quin intelligamus *statum politicum*, in quo & magistratus & subditi Dominum hodie laudare ac misericordiam ejus æternam prædicare propterea debent, quod anno præterlapso benedixit nobis Dominus ex Sion, & vidimus bona Hierosolymæ, Psal. 128. v. 5. misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax multuò se exosculati sunt, Psal. 85. v. 10. dissipati sunt hostes nostri, arcus contriti, confracta arma, combusta scuta, Psal. 46. v. 10. &c. exultemus itaq; & hoc etiam anno pacem rogemus Hierosolymæ: *Sit pax intra muros nostros & prosperitas in palatiis nostris*, Psal. 122. v. 7. per AARONEM porro, quid intelligemus aliud, quam *statum Ecclesiasticum*, in quo & doctores & auditores hodie Dominum laudare & misericordiam ejus æternam prædicare debent ideo, quod anno præterito in sanctuario suo magnificatus est Dominus Psal. 78. v. 69. conservavit inter nos incorruptè Verbum & Sacramenta, dedit nobis *statuta sua*, annuntiavit nobis *judicia sua*, non fecit

taliter omninationi, Pſal. 147. v. 19. exultemus ergo & rogemus ut hoc etiam anno, Dominus de cœlo propiciat & viſitet vineam, quam plantavit inter nos dextera ejus. Pſal. 80. v. 15. Tandem per omnes Dominum **TIMENTES**, quid intelligemus aliud, quam *ſtatum æconomicum*, in quo omnes pii Jehovam hodie laudare & miſericordiam ejus æternam prædicare ideo debent, quod Dominus annum præteritum coronavit benignitate ſua, & campi repleti ſunt ubertate, Pſal. 65. v. 12. liberavit nos de laqueo venantium & de peſte noxia, Pſal. 91. v. 3. dedit fœnum jumentis, dedit è terra panem confortantem & vinum lætificans cor hominis, Pſalm. 104. v. 14. exultemus ergo & oremus, ut hoc etiam annò protegat nos nomen Dei Jacob, mittat nobis auxilium de Sancto & de Sion tueatur nos, Pſal. 22. v. 3. confirmet opera manuum noſtrarum imò manuum noſtrarum opera confirmet, Pſal. 90. v. 17.

Annus finit iter. finem da Chriſte laborum,

Exod. 2.

Et veniant anno proſpera quæque novo.

Vel aſſumas pulcherrima illa Tobix verba, quibus ad Raphaelem, quẽ comitem ſuum & hominem putabat, dixit: *Azaria, frater mi, quaſo auſcultes verba mea: Si me ipſum traderem tibi ſervum, non tamen ſatüſfecero tibi pro beneficiis tuis*, Tob. 9. v. 2. hodierno enim die ſi perpenderis, quæ, qualia & quanta nobis beneficia hoc quidem præterito anno ſint exhibita, quid aliud dices quam Tobix hoc: *Ieſu, frater mi, quaſo verba mea auſcultes, ſi vel me ipſum tibi tradiderim, non tamen ſatüſfecero tibi pro beneficiis tuis!* magnum ſanè erat, quod Raphael Tobiam in ſatis periculoso comitatus eſt itinere, ſed longè majus eſt, quod Chriſtus hoc anno angelis ſuis mandavit de nobis, qui nos cuſtodierunt in omnibus viis noſtris, procul dubio periculoſiſſimis ſæpè, nec tamen ad lapidem offendimus pedem noſtrum, Pſal. 91. v. 12. magnum ſanè erat quod Raphael Tobiam liberavit à piſce illo, qui ipſum devorare volebat, ſed longè majus eſt, quod Chriſtus hoc anno nos omnes liberavit ab angelo trucidatore, caſtigavit quidem nos aliquoties, ſed Morti nos non tradidit, Pſal. 118. v. 18. Magnum ſanè erat, quod Raphael à Tobia fugavit infernalem illum Aſmòdæum, ſed longè majus eſt, quod Chriſtus hoc anno pepulit Diabolum *ſeductorem* ab Eccleſia, Diabolum *vaſtatore* à politia, imò Diabolum illum qui *Abbadon* dicitur & *Apollyon*, ab Oeconomia, Apoc. 9. v. 11. magnum ſanè erat, quod Raphael Tobix facultates non parùm adauxit per Sponſam illam & piam & opulentã ſatis, quam illi aſſociavit, ſed

sed longè majus est, quod Christus hoc anno nos omnes ditavit, si non corporalibus, spiritualibus tamen donis & bonis, ut abundemus in ipso omnibus, fide nempe & sermone & cognitione, 1. Cor. 1. v. 5. 2. Cor. 8. v. 7. imò ut AZARIAS *Auxilium Domini* significat, ita verè anno præterito in omnibus sensimus auxilium Christi Servatoris, quem propterea non ineptè nostrum *Azariam*, imò nostrum *Fratrem* rectè nominare & dicere cum Tobia possumus: *Azaria mi frater, queso auscultes verba mea, sè vel me ipsum tradidero tibi, non tamen pro omnibus beneficiis tuis potero satisfacere, esto itaq; deinceps etiam Azarias & auxiliator noster! esto fidelis temporum nostrorum diribitor! esto salutaris annorum dierumq; nostrorum dispensator! des gratiam:*

Vt surgant nova corda Deo, nova gaudia mœstis,

Exod. 3.

Vt nova de bellis tristitia nemo legat,

Sic petimus, Dominumq; novi veterem imploramus,

Vt nos à veteri labe maloq; luat.

De circumcissione porro sit tantum agere velis, assumere poteris verba Christi, Iohan. 4. v. 47. *nisi signa & prodigia videritis non creditis*, verè communis nostrorum omnium hic morbus est, quod absque signis difficulter credimus, hinc nostræ infirmitati Deus se accommodat & perpetua ferè consuetudo ipsi est, res magni momenti confirmare signis verbo additis: Sic promissioni de semine mulieris, addebantur vestes pelli- bus confectæ agnitis, quibus deducebantur protoplasti ad agnum illum Dei tollentem peccata mundi, Gen. 3. Sic promissioni de Midianitis per Gedeonem extirpandis additur signum roris super vellus, Jud. 6. Sic promissioni de liberatione Israelitarum ex servitute Ægyptiaca additur signum & Sacramentum agni Paschalis, Exod. 12. Sic promissioni de vita Ezechiae ad annos 15. prorogata additur signum Solis retrogradi, Esa. 38. v. 7. &c. Jam verò Deus Abrahamo promissionem dederat amplissimam: *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ*, Gen. 12. v. 3. quæ promissio quia maximi momenti, ideò certum etiam signum additum est, circumcisio videlicet, quam hodie ipse Servator noster suscepit, *in se derivans flebile legis onus*, &c. Tandem de nomine Iesu acturus, assume vaticinium, Esa. 62. v. 2. *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini declarabit*: completa hæc sunt hodierno die nomine illo sacrosancto & planè divino: *Iesus*. Equidem varia olim nomina Messiae data sunt, dicitur à Mose: *Semen mulieris*, & *Propheta magnus*, Gen. 3. Deut.

Exod. 4.

18. di-

18. dicitur à Jacobo: *Siloh*, Gen. 49. dicitur à Bileamo: *Stella Jacob*, Num. 24. dicitur à Jobo: *Goel sive Redemptor*, Job. 19. dicitur à Davide *Sacerdos aternus*, Psalm. 110. dicitur ab Esaia: *Immanuel, admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater aternus, princeps pacis*, Esa. 7. & 9. dicitur à Jeremia: *Iehova Ziskenu, Dominus iusticia nostra*, Jerem. 23. dicitur à Daniele: *Sanctus Sanctorum*, Dan. 9. à Michea: *Dux Bethlehemiticus*, Mich. 5. ab Haggæo: *Desideratus gentium*, Hagg. 2. à Zacharia: *Zemah*, Zach. 6. à Malachia: *Angelus fœderis & templi Dominus*, Mal. 4. imò dicitur Christus in N. T. à Baptista: *Agnus Dei*, Ioh. 1. à Zacharia: *Oriens ex alto*, Luc. 1. à Simeone: *Lumen ad revelationem gentium & gloria plebis Israel*, Luc. 2. Sed omnia hæc nomina Christo Servatori imposita sunt, licet inspirante Spiritu S. per os tamen humanum Patriarcharum, Prophetarum & aliorum Sanctorum. Hodie autem quando in circumcissione Salvator noster dictus est Iesus, hoc est nomen illud planè novum, imò hoc est illud nomen, quod declaravit & Christo imposuit, ipsum os Dei patris, teste D. Apostolo Paulo, qui dicit: Deum patrem exaltasse Christum & dedisse ipsi nomen super omne nomen, ut in nomine Iesu flectatur omne genu, Phil. 2. ¶ vel, assumas dictum, Esa. 7. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium & vocabit nomen ejus EMANUEL*, cum itaque Servator noster in circumcissione sua dictus sit, non Emanuel sed Iesus, exinde Iudæi colligere volunt Christum Mariæ filium Bethlehemini natum non esse Messiam missum & promissum. Sed distinguendū inter specialia Christi nomina & inter nomen illud Iesu generale imò generalissimum, es gehet den Holseligen Jesulein / wie allen lieben Kindern / die haben viel Namen / juxta Germanorum proverbium, sic Salvatori tribuuntur quædam nomina concernentia (1.) & probantia aternam ejus Deitatem, quando nimirum dicitur: *Imago Patris*, Col. 1. *splendor gloria*, Heb. 1. λόγος ab initio, Ioh. 1. *Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero*, &c. Tribuuntur Christo quædam nomina probantia (2.) veram ejus humanitatem, ut quando dicitur: *Semen mulieris*, Gen. 3. *Siloh*, Gen. 49. *radix Jesse*, Esa. 11. *germen Davidis justum*, Jerem. 23. *filius hominis*, &c. tribuuntur tandem Christo nomina depingentia (3.) ipsius officium, ut quando dicitur *Propheta magnus*, Deut. 18. *Rex de monte, Sion sancto*, Psal. 2. *Christus*, sive oleo lætitiæ unctus præ consortibus, Psalm. 45. & huc pertinet etiam nomen illud *Emanuel*, quo innuitur Christum esse mediatorem inter Deum & homines, 1. Tim. 3. At sacrosanctum illud nomen Iesu, seu generalissimum, isthæc omnia

omnia complectitur, cum enim frater fratrem & homo hominem redimere non possit, Psal. 49. v. 9. ex nomine utique Iesu manifestissime constat, Christum esse *verum Deum*: Cum porro *sine Sanguine* redemptio nulla fiat, Heb. 9. v. 22. ex hoc utique sequetur nomine, Christum esse *verum hominem*, qui proprio sanguine nos redemit, Actor. 20. tandem omnes officii Christi partes eo tendunt, quod noster est *Redemptor, Liberator, & Salvator*, unde certum Judæos nihil obtinere, cum nomen Emanuelis nomini Iesu non opponatur sed subordinetur illudque explicet, &c. ¶ Tandem antequam ipsam Evangelii tractationem aggrediamur, paucis etiam agemus de *Calendario* sub *Gregorio* Pontifice immutato & innovato, cum hoc die & anni & Calendarii faciamus initium: Papa Gregorius XIII. ob nonnulla Antiqui Calendarii Sphalmata, novum conscribi iussit calendarium, quod A. C. 82. in comitiis Augustanis, Ecclesiis Augustanæ etiam confessioni addictis voluit obtrudere, sed repudiavit illæ Gregorianam illam correctionem, eamque suo repudio tam reddiderunt contemptam, ut Pontificis calendarium dictum sit; *Der Gregers Calender* item Pontificios *pro Iuliano Iulianum* accepisse Calendarium. Quæritur itaque an protestantes rectè fecerint, præsertim cum rejectio Calendarii illius novi in nonnullis locis turbas satis periculosas dederit? Totum hoc negotium cum fidei Christianæ articulum nullum *apertè* concernat, hinc quidem putant *Politici*, protestantes etiam, sine salutis periculo, Gregorii Calendarium potuisse suscipere, imò *Calviniani Brandenburgici*, Dn. D. Mylius b. m. qui ob Calendarium Gregorianum repudiatum Augustæ, in periculum satis grave incidit, suggillant & in relationibus Berolinensibus suis satis ridiculè vocant eum *Den berühmten Calender Märterer*. Cæterum dicant illi quicquid velint, nos tamen scimus Gregorii Calendarium à protestantibus meritò repudiatum, & *Astronomicè & Politicè & Theologicè*, 1. Astronomi *Tob. Möllerus, Eliseus Röslinus, Mæstlinus* & multi alii ad oculos demonstrarunt, in Gregoriana correctione lapsus adhuc gravissimos restare, & nova opus esse emendatione eaque multo accuratiori, si *astronomi* ex Iuliano Calendario ortam, effugere velimus, 2. *Politicè* quas non difficultates peperit illa Calendarii correctio in politiis, in iudiciis, in commerciis? adhuc quid Pontifex Romanus juris habet in nostras Ecclesias, ut eas sibi ita occultè & per cuniculos denuo reddat subjectas? certè Calendarii reformatio si instituenda, pertineret hoc negoti-

tii non ad Papam sed ad Magistratum Romani Imperii, sicut id exempla Iulii Caesaris, & Constantini Magni satis superq; docent, unde Lutherus, Tom. 7. Germ. Ien. in lib. de Conciliis pag. 236. B. pulcherrime: Ist darffs wol wiederumb einer Reformation, daß der Calendar corrigiret vnd die Ostern zu recht gerückt würden. Aber das sol niemand thun/ denn die hohen Majestäten/ Kaysen vnd Könige/ die müßten einträchtig zugleich ein Gebot lassen aufgehen in alle Welt/ 2c. Sonst wo ein Land ohn das ander anseinge vnd die Weltlichen Handel als Jahrmärkte/ Messen vnnnd ander Geschäften nach dem jetzigen Ostertag sich richten/ müßten die Leut desselben Landes auff einen Markt eines andern Landes zu vnrechter Zeit kommen/ vnd würde wüste Verwirrung vnnnd Zerrüttung werden in allen Sachen/ & hoc etiam voluit Papa ut nimirum non tempora tantum confunderet, sed & semina dissidiorum inter Principes ac status imperii sereret. III. Theologi certè gravissimas habuerunt causas Pontificis Calendarium rejiciendi, nos primarias saltem delibabimus. Demonstravit (1.) Pontifex hac correctione se vivum esse AntiChristum, de quo prædictum quod tempora sit mutaturus, Dan. 7. v. 25. & super omnia se exaltaturus, Dan. 12. v. 36. 2. Thes. 2. v. 4. Concernit (2.) hoc negotium libertatis Christianæ praxin, in qua hostibus ne ad horam quidem cedendum, ut consistat veritas Evangelii, Gal. 2. v. 5. & 5. v. 1. Nemo (3.) nos judicare debet circa tempora & dies Festos, Col. 2. v. 16. si nemo, & ne orthodoxus quidem Episcopus, cur ergo tale quid ausus est Romanus ille lupus & juratus nostrarum Ecclesiarum hostis? prætendit (4.) Gregorius, se ad refectionem Calendarii impulsus, partim Concilii Tridentini executione, partim etiam Sanctorum singulis diebus Calendarii adscriptorum religiosa veneratione, sed quis nostrum obediret Concilio Tridentino, præsertim sub Anathematis fulmine? quis etiam ignorat sub Papatu tales invocari sanctos, quorum multi in rerum natura nunquam fuerunt, idque contra expressum interdictum: *Dominum Deum tuum adorabis, & illum solum coles*, Matth. 4. Quantus (5.) Pontifex Romanus hypocrita est, videt apprimè necessariam esse reformationem & in doctrina & in disciplina, illam autem omittit, & in Calendarii emendatione valde defudat, hoc videlicet est colare culicem & deglutire camelum, Matth. 23. &c. Non itaque recipienda Calendarii innovatio Gregoriana illis Ecclesiis, quæ utrumque tueri possunt, & VERITATEM scilicet & LIBERTATEM integram, illæ autem Eccle-

Ecclesiæ, quæ sub Papistico Magistratu vivunt, si Calendarii Gregoriani jugum deprecari non possunt, illæ inquam distinguant, inter Ecclesiam in omnibus liberam & in multis pressam, Ecclesia pressa, si summum illud *αληθειαν* (Veritatem) retinere potest, inter onera & gravamina, Calendarium novum referat oportet, protestatione itaq; interposita, de salvo religionis exercitio, non in gratiam Papæ, sed in honorem Magistratus sui & ad declinandam seditionis speciem, poterit suscipere id, quod corriginequit. Vide Rung. in cap. 12. Exod.

Et cum complerentur dies octo.] Agemus pacucis, 1. de Sacramentis, juxta circumcisionis circumstantias, in genere, 2. De Circumcisione Iudeorum, 3. de Circumcisione CHRISTI Servatoris. Herodotus (1.) originem circumcisionis refert ad Ægyptios, quos dicit, munditiæ gratiâ, tale quid factitasse & ab his idem didicisse Æthiopas, Colchus, Phœnices & Syrios: sed norunt Christi parentes aliam circumcisionis originem eamque ex Gen. 17. planè divinam, unde primariam sanctionem in omnibus accuratissimè observant, eoq; nos erudiunt Sacramenta omnia omnom suam majestatem habere à fundatore Deo, qui solus instituire & abrogare Sacramenta potest, id quod nullius vel angeli, vel Regis, vel Episcopi, vel concilii, vel etiam Ecclesiæ est. Si itaque, cum parentibus Christi, primum Cœnæ Dominicæ autorem attendissent Patres Concilii Constantiensis, calicem certè Laicis nunquam subtraxissent, nunquâ, prima etiam institutione non OBSTANTE, cœnam mutassent & mutlassent. ¶ Norunt (2.) Parentes Christi circumcisionis Sacramentum primitus pro hominibus iisq; viventibus institutum, unde filiolum suum, eumque vivum circumciderunt: Ubi ergò manebunt Cerinthiani cum suo *νεκροβατισμῷ*, ubi manebunt hodierni Iudei, qui mortuos etiam infantes ante diem scilicet 8. apud fossam sepulchralem circumcidunt, Buxtorff. Synag. c. 2. imò ubi manebunt Pontificii, qui Sacramenta administrant, non tantum pro vivis, sed etiam pro mortuis, baptizant campanas, nugantur Antonium de Padua communicasse Asinum, disputant acerrimè quid mus accipiat, si panem arrodat Missaticum, quasi cœna pro muribus etiam & assellis esset instituta. ¶ Norunt (3.) Christi parentes Sacramenta, ob divinam suam auctoritatem, omnino necessaria esse, nec posse ea sine jactura salutis ac salva conscientia vel prorsus omitteri, vel securè differri, unde filiolum diè statim 8. circumciderunt, id quod etiam alii fecere parentes, nisi quidem intervenit casus quidam

Sacramenta vel instituire vel mutare solius Dei.

Sacramenta pro hominibus instituta.

Sacramenta nõ contemnenda, quia illorum non privatio sed contentus damnat.

inevitabilis, qualis fuit illorum infantum, qui ante octavum diem sunt demortui, illos enim licet citò ex mundi tenebris Deus evocarit, alio tamen modo liberare inq. lucem clarissimam à peccato originis purgatos, beneficio Messie transferre potuit, sicut etiam illi qui in deserto non circumcisi defungebantur, non propterea omnes æternæ damnationi sunt subjecti: Id quod contra Pontificios notandum, & quidem in questione, de liberis ante Baptismum mortuis, de illorum salute meritò benè speramus, quia non privatio sed contemptus Sacramentorum damnat, & res Sacramenti, etiam sine Elemento, in necessitatis strictæ casu, à Deo dari potest, ut qui ad Sacramenta non seipsum, sed nos saltem adstrinxit, comprobat hoc promissio illa generalis: *Ego Deus tuus & seminis tui*, Gen. 17. comprobat exemplum *latronis*, Luc. 23. comprobat assertio *D. Ambrosii, de Valentiniatio* in itinere ante Baptismum mortuo, *Epist. 33.* dicentis: *Christus te, fili, baptizavit, quia officia humana defuerant*, imò comprobabat misericordia illius, qui omnium miseretur, qui fidelium preces exaudit, quiq. non vult, ut quisquam de pusillis pereat, *Matth. 18. v. 14.* ¶ Circumcisum (4.) Christum legimus, sed non in templo, nec in Synagoga, verum in privatis ædibus, parentibus & aliis præsentibus, id quod etiam de circumcissione Baptiste notum, *Luc. 1.* imò agnus etiam Paschalis in domibus comestus fuit, unde constat nec ad dignitatem, nec ad integritatem, nec ad efficaciam Sacramentorum esse necessarium, ut semper in publico Ecclesiæ congressu atque sic in templo illorum administratio institueretur, quod tamen nonnulli ex Calvinianis satis contentiosè asserunt, nec volunt, ut captivis, ægrotis, & aliis, extra Ecclesiam cœna distribuatur, cum tamen administrationem cœnæ domesticam nullibi Christus prohibuerit, cum ipse in domo privata Sacramentum hoc instituerit, cum in ædibus privatis etiam sit communio, *Matth. 18. v. 20.* imò cum *Hieronymus* laudet *Exuperium* pium Gallie Episcopum, quod Sacramentum ad ægrotos detulerit, de *Serapione* idem legitur apud *Euseb. lib. 7. c. 44.* ¶ Licet (5.) circumcisum legamus Christum, nulla tamen nec hîc, nec in Baptista circumcissione fit mentio illius personæ, quæ hanc sustinuit provinciam: quo docemur Sacramentorum dignitatem à ministris qualiter se non pendere, quod tamen *Donatista* volebant: docemur etiam ad efficaciam Sacramentorum intentionem ministri nihil facere, quod volunt Pontificii: imò docemur posse dari calum, & dari sapius in necessitate extrema, ut etiam privatus homo, & quidem

*In domibus privatis etiam re-
Et Sacramenta
administrantur.*

*Sacramentorum
integritas à mi-
nistri dignitate
non dependet.*

mulier,

mulier Sacramenta administret, equidem circumcisio primum mandata est Abrahamo, qui expressè *Propheta Domini* dicitur, Gen. 20. v. 7. in deserto Iudeos circumcidit *Iosua princeps*, Ios. 5. dubiumque nullum est, ordinariè circumcisionem per viros fuisse administratam sicut hodieq; Iudæi suum habent *Mohel* sive *circumcisorem* satis expeditum, qui ex pollicum qualitate dignosci potest, cum super utrisq; longos & in arcum acuminatos ungues habeat: sed in casu necessitatis mulieres etiam circumcidisse certum est, Exod. 4. v. 25. 1. Macc. 1. v. 63. 2. Maccab. 6. v. 10. Cur ergo Gynæcobaptismum Beza nominat *crimen falsæ fabulæ, crassam ac puerilem Ministerii profanationem*, part. 2. quæst. & responsionem Nos scimus non Sacramenta propter ordinem, sed ordinem propter Sacramenta institutum esse, ideoque ordinariè baptizet Minister, in casu vero necessitatis sceminam etiam rectè baptizare, hoc probatur, 1. ex communi Christianorum sacerdotio, 1. Pet. 2. v. 9. Apocal. 1. v. 6. c. 5. v. 10. 2. ex Dei *ἀποστολικῇ ἐξουσίᾳ*, Gal. 3. v. 28. 3. ex circumcissione mulierum Iudæitarum jam citatarum, certè propter unicum Ziporæ exemplum Gynæcobaptismum *Augustinus*, *Concilium Florentinum* & *Carthaginense* approbarunt. Circumcisus (6.) Christus est *die statim octavo*, cur ergo Turcæ suos circumcidunt octavo demum anno? cur Iudæi etiam hodierni circumcisionem ultra diem octavum quandoque differunt ut postea dicemus? cur pædobaptismum rejiciunt *Anabaptistæ*, ut balneum caninum, ut lavacrum suillum, utique institutionem *Satanicam*, juxta blasphemiam *Luca Sternbergeri*? imò cur Pontificii etiam pædobaptismum pro mera Ecclesiæ traditione habent, quæ omni verbo destituatur, cum pædobaptismum probet, 1. Circumcisionis æqualitas, in ejus enim locum Baptismus successit. Col. 2. v. 11. indeque Epiphanius dicit: *Ἡ βαπτισμὸς ὡς ἡ περιτομή, ὁ βαπτισμὸς ἡμετέρος ὡς ἡ περιτομή τοῦ κυρίου, ὁ βαπτισμὸς ἡμετέρος ὡς ἡ περιτομή τοῦ κυρίου, ὁ βαπτισμὸς ἡμετέρος ὡς ἡ περιτομή τοῦ κυρίου*, baptisimus noster magna quadam circumcisio est. 2. Instituentis Christi autoritas, Matth. 28. v. 19. Marc. 16. v. 14. ubi τὰ ὄντα infantulos significat ab uberibus matris dependentes, 3. promittentis Dei veritas Matth. 18. v. 13. Esa. 49. v. 21. 4. Egentis infantuli necessitas, Psal. 51. v. 7. Ioh. 3. v. 5. 5. *πᾶσι τοῖς ἀποστόλοις* Apostolica veritas, Act. 10. v. 48. 16. v. 15. 1. Cor. 1. v. 14. Tantum juxta *ἐκείνης* circumstantias de Sacramentis in genere.

Infantes ut circumcisi, ita & baptizandi.

Ut infans circumcideretur.] Agamus jam, II. de circumcissione Iudeorum, idque juxta sequentia membra. 1. Magna est circumcissionis *maiestas*, quantumvis humanæ rationi hoc ritu nihil videatur. *Iudaica circumcissionis.* 1. *Majestas.*

stultius, nihil contemptius, *Manicheus* circumcisionem nominavit *obscu-
rum characterem*, apud August. l. 5. nominant Judæos ob circumcisio-
nem, Horatius: *Apellas*, Martialis: *recutitos*, Catullus: *Verpos*, imò *gentili-
bus risus mos iste fuit, quomodo enim* (dixerunt, referente Cypriano) *Salvato-
ris benignitas plagis delectaretur infantium? quomodo in ipso vitæ initio puerulos
de vita voluisset periclitari ille, qui est amator vitæ? hoc de Deo bono* (qui nemi-
nem vult perire) *absurdum est judicare & irrationabile*, unde etiam *Eneari-
ta*, *Manichei & Marcionite* veteris Testamenti Sacramenta malo Deo assi-
gnarunt, cum bonus Deus non sit infanticida, *kein Saturnischer Kind-
derfresser* / Verum Dei stultitia etiam hac in parte sapientior est, omni
mundi sapientia, 1. Cor. i. v. 27. Si enim Autorem circumcisionis spe-
ctes, est ille Deus noster gloriosus, de cujus operibus omnibus Psaltes
ait: *Magna opera Domini, exquisita omnis voluntas ejus*, Ps. III. v. 2. Si spectes
Exemplis antiquitatem, instituta illa est, A. Mundi, 2048. ante Christum
natum, 1909. sunt hoc anno (1623.) anni integri: 3532. quis hîc non
usurparit tritum illud: *Antiquissimum quodq; verissimum & optimum*: imò
si scripturas consulas circumcisio profecto pulchra habet nomina, dici-
tur *Αλκυον*, Act. 7. v. 8. dicitur: *σφραγίς δικαιοσύνης* Roman. 4. v. 11.
Circumcisio signum fuit promissi filii Dei, ait Augustin. quæst. 49. in N. T.
unde & mares & fœminæ, Iudaici, in hoc Sacramento exultarunt, vide
1. Sam. 14. v. 6. 17. v. 26. Judith. c. 9. v. 18. ¶ Observa hîc Christi Serva-
toris querelam: *Iustificata est sapientia à filiis suis*, Luc. 7. v. 35. licet enim
Circumcisioni majestas satis magna concilietur ex rationibus jam di-
ctis, illam tamen augere voluerunt hodieque volunt, & *Iudæi & Turcæ*,
variis iisque planè frivolis ceremoniis, quales sunt apud Iudæos quidē:
quod (1.) Synagogam magna pompâ ingrediuntur ita, ut unus puer
gestet facem ingentem, duodecim ardentem candelis, atque sic duode-
cim tribus Israelis repræsentantem, quod (2.) puer alius gestat poculum
vino rubro plenum, quod (3.) puer tertius apportat cultellum circum-
cisorium, quod (4.) alius patellam cum arena affert, quod alius (5.) de-
fert aliam patellam cum oleo, cui intinctæ sunt puræ subtiles & raræ fa-
sciolæ, quod (6.) Mohel subsequitur, quod (7.) duo ponuntur sedi-
lia, unum pro sponsore & alterū pro Elia Thesbita, quem invisibiliter
adesse credunt, unde clarâ voce dicunt: *Hoc sedile est Propheta Elia*, quod
(8.) adventantibus his sponsor clamat: *Baruch habba*, ubi cum & prima,
& secunda ¶ verò, ut quinta alphabeti litera, octo constituent, hunc
volunt

*Iustificatur non
raro sapientia
cœlestis à filiis.*

volunt dictæ exclamationis esse sensum: *Benedictus qui venit octavo die ut circumcidatur*, quod (9.) vino rubro infantem aspergunt &c. Vide *Buxtorff. Syn. cap. 2. p. 82.* Turcarum ceremoniæ hæ sunt, quod (1.) puerum octavo demum anno circumcidunt, quod (2.) ab illo confessionem religionis Mahometicæ requirunt, quod (3.) epulas valdè splendidas instituunt, quod (4.) in illo assatur convivio, à ditioribus nempe, bos integer, bovi includitur grus, grui gallina, gallinæ ovum, quod (5.) in medio illo convivio Mufelmannus accedit & puerum circumcidit, quod (6.) circumcisu die tertio ad balneum splendide deducitur, quodque (7.) puero offeruntur à convivis varia munera, equuli scilicet, vestes, indusia, strophiola &c. Vide historiam circumcissionis filii Imperatoris Turcarum, A. 1583. 9. Maij factæ. Verum quis non diceret hîc cum Christo: *irritum fecistis mandatum Dei per traditiones vestras*, Matth. 15. v. 2. 6. At Papistarum eadem ratio est, scire & illi debebant Sacramenta, ob institutorem & institutionem, satis ornata & condecorata esse, verum quas non ridiculas & histrionicas plane ceremonias eis addunt Pontificii? Missa profectò in merum theatricum lusum conversa est, unde non immeritò dicitur: *Die Gauckelmeß*/Baptismus etiam variis contaminatus nugis est, juxta versiculos: *Sal, oleum, chrisma, cereus, chrismale, saliya, Flatus, virtutem Baptismatis illa figurant, Hac cum patrinis non mutant esse, sed ornant*: quomodo autem ornarent Sacramenta, quæ primæ institutioni prorsus non conveniunt, illa dedecori eis potius sunt, quàm ornamento. II. Circumcisio quibus conferri debuit personis? Differunt hac in parte Baptismus noster & circumcisio, ille enim ad nos omnes, quavis ætate, & conditione, de quavis gente pertinet, hæc vero certorum erat hominum certique sexus, *Masculini* scilicet ex generatione *Abrahæ*, unà cum servis Judæorum, & *domi natis & emptitiis*, nec non *profelytis aliquibus*, qui circumcisi etiam sunt, si nimirum Judæis cohabitare, connubia cum eis contrahere, & agno Paschali vesci voluerunt, Exod. 12. aliàs ex gentilismo conversi ad circumcissionis ritum adacti non sunt, ut *Naeman, Cyrus, Nabuchodonosor, Darius, & alii.* Quæritur itaq; (1.) quid sentiendum de illis, quilibet Judæi non essent, circumcissionis tamen ritum imitati sunt, talis *Samosatenus*, qui circumcissionem valde urfit, teste Philastrio: talis *Cerintus* qui in Asia vagatus, multas, circumcissionis negotio, turbavit Ecclesias: talis etiam *Mahometh*: tales *Arabes*, tales *Syri*, imò tales *Indi* qui hodieq; & baptismum retinere dicuntur & circum-

*Circumcisio
quibus confe-
renda personis.*

sio-

tionem: καὶ οὕτως hęc gentilibus dictis prodeffe nihil potuit, fiqui-
dem pro ipfis circumcifio inftituta non erat, & nec mandati nec pro-
miffionis verbum ipfos concernebat, unde *Constantinus*, fub pœna capi-
tis, peculiari edicto interdixit Judæis, nec ullum non Judæum circum-
ciderent, *Justinian.* l. i. tit. 10. & in Synodo Antiochena Apoftolica con-
demnati funt Pſeudo-Apoftoli, etiam fub regno CHRISTI circumci-
fionem putantes neceffariam, *Galat.* 2. & 5. quin imò in Concilio Hie-
roſolymitano, Apoſtoli unanimi decreto ftatuērunt, circumcifionem
non imponendam difcipulis ex paganifmo converfis, *Actor.* 15. Quæ-
ritur (2.) cur fœmellæ circumcifæ non fint, cum tamen baptizentur?
Reſp. Fuit ratio habenda naturæ, & putat *Lutherus* myſterium incar-
nationis filii Dei in non circumcifis Judæorum fœmellis depingi, pro-
pter unam (inquit) *Virginem, Mariam, ex qua naſcendus erat Chriſtus, parcit*
Deus toti ſexui fœmineo, & tantum mafculos ad circumcifionem flagitat, eo quod
futura erat fœmina, quæ ſine viro pareret, ejusmodi filium, qui circumcifionis ſa-
cramentum planè abrogaturus erat. Quæritur (3.) an fœdus gratiæ ad
puellas etiam non circumcifas pertinuerit? Reſp. Diftinguendum in-
ter fœdus & fœderis ſignum, à fœderis ſigno hoc eſt, circumcifionis ritu,
excluſæ quidem fœminæ fuerunt, at non ab ipſo fœdere, cui potius
ipſas incluſit promiſſio circumcifis data patribus: *Ero Deus tuus & ſe-*
minis tui poſt te, unde Judæorum piæ fœmellæ tam gavifæ funt, ſe ex
circumcifis natas eſſe patribus, quàm ſi ipſæ fuiſſent circumcifæ, vide
Judith. 9. v. 18. quid quod circumcifis aliis non licuit edere de agno Pa-
ſchali, fœmellis autem Judaicis licuit, fuerunt ergo in fœdere, *Exod.* 12.
v. 48. Quæritur (4.) an fuerit peculiaris in V. T. ritus, vel peculiare medium
& remedium, quo peccatum originis in fœmellis Judæorum non cir-
cumcifis fuerit expiatum? finxit tale quid *Iodocus Ravenſtein* in Apol.
Concil. Trident. contr. Chemn. p. 27. & ſeq. finxerunt etiam Jeſuitæ in
1. ſtatim Seſſ. Colloq. Ratiſpon. ubi remedium pro peccato originali in
fœmellis inter traditiones V. T. referebat *Greſſerus*, verùm cum urgere-
tur, ut ejus remedii ullum oſtenderet veſtigium, vel ex ſcripturis, vel ex
Judæorum antiquitate & Patribus, nihil adducere potuit, puto, dicit, ali-
quem extare locum in *Auguſtino*, Item: dabo veſtigium ex ratione: ſed rectè illi
reſponſum eſt, & rationem cæcam eſſe, & remedium illud fuiſſe Chriſti meri-
tum, quod retrò operatum ſit, præter hoc ſi aliud remedium pro fœmellis
introducitur eſt, id non divina autoritate, ſed traditione humana & ſu-
perſti-

perstitutione Phariſaicâ fuit introductum. ¶ Discamus autem hîc Deû nostrum glorioſum verè fidelem eſſe, qui ultra vires tentat neminem, 1. Cor. 10. equidem *Alexander Iure Conſultus* l. 2. genialium dierum c. 25. dicit: *In Arabia gens eſt, Creophragos vocant, quibus nedum viri, ſed mulieres judaicè excindi ſolebant, verùm quis dubitabit & impium & ſuperſtitioſum hoc Satanæ inventum eſſe, Dei ſacroſanctam evertens inſtitutionem, voluit enim clementiſſimus Jehova, ut iſde ſœmellæ circumciſioni non ſubjicerentur, quia antea ſatis duram* *ἡ επιμὴν* *ſœminis impoſuerat, dicens: Multiplicando multiplicabo dolores tuos & partus tuos, Genef. 3. pepercit itaq; ſœminis, quia partus labore aliàs aggravatæ erant, parit etiam nobis in iis quæ ferre non poſſumus, ſi modo ipſi inſirmitatem noſtram agnoſcamus, & mitigationem dolorum petamus, ſicut Doct. Mörſlinus in graviſſimis calculi tormentis Deo acclamare ſolitus eſt: Pater mi, noſti ferrum aut lapidem me non eſſe, caro ſum & ſanguis, pulvis ſum & cinis, mitiga itaq; dolores, ut ferre queam!* taliter ſi & nos oremus, Dominus miſerebitur noſtri, ſicut pater filiorum, ipſe enim cognovit figmentum noſtrum, recordatus eſt, quoniam pulvis ſumus, Pſal. 103. v. 14. III. Quando circumciſio fuit peragenda? juxta noſtrum textum & primam inſtitutionem *die octavo*, & putat *Lyra propter perfectionem* hoc factum, cum etiam animalia ante diem octavum offerri Deo non potuerint, ſed veræ diei octavi cauſæ ſunt, 1. *Puerulorum tene-ritudo*, diebus enim prioribus ſex quanta alicujus infantis inſirmitas, ſeptimus dies, utpote criticus & climactericus etiam periculofus eſt, die itaque octavo circumcidebatur infans jam robuſtior. 2. *Judæi aliàs in exequendis Dei mandatis negligentes erant & oſcitan-tes, præſcribendum itaq; hîc certû ipſis tempus erat, ultra quod circumciſio non prorogaretur.* 3. *Dies octavus typus erat æternæ beatitudinis, quæ vitæ hujus ſeptimanam ſubſequetur, & omne malum in ea præſcindetur atque amputabitur.* 4. *Admonebantur Judæi puerorum innatam malitiam, virgâ diſciplinæ in ipſa ſtatim infantia amputandam, Syr. 7. v. 25. 30. v. 12. Quæritur itaque (1.) cur in deſerto à Judæis omiſſa circumciſio? R. extremæ neceſſitatis caſu & peculiari Dei indultu hoc factum, Joſ. 5. v. 1. aliàs qui poſt octavum diem circumciſionem intermiſit, ille Deû graviſſimè offendit, ut videre eſt, Exod. 4. v. 24. & prima inſtitutio dicit, præputiatus octavo die non circumciſus, ejus exterminabitur anima, ſeptuaginta ita reddiderunt. ἐξολοθρεῦθήσεται καὶ ἀφανιθήσεται ἡ ψυχὴ*

De die octava.

ἐκείν, exterminabitur & delebitur anima illa, Gen. 17. v. 14. *Lyran* hoc refert ad parentes vel tutores, qui citò mortui fint, fi ultra diem 8. diffulerint circumcifionem : alii referunt hoc ad puerum 8. die non circumcifum, qui mortuus fi ante annum ætatis 52. alii putant hîc agi, vel de pœna Magiftratus, qui circumcifionis contemptum gladio debeat punire, vel de excommunicatione Ecclefiaftica, fed longe gravior innuitur pœna, contemptores videlicet hujus Sacramenti jûs filiorum Dêi atque fic vitam æternam amiffuros. Unde (2.) quæritur : quid ftatuendum de infantibus ante diem 8. defunctis ? num univerfis fuerit percundum ? *Ambrosius* l. 2. de Patriarch. Abrah. cap. 11. miratus Dêi feveritatem, confugit ad Allegorian, dicens damnari in Genefi non in circumcifos carne, fed in circumcifos mente, hoc eft, incredulos. Hugo dicit, puerulos non circumcifos effe falyatos per fidem parentum : *Lombardus* & alii Scholaftici damnant illos infantes, ut hodie Pontificii non baptizatos, & dixit *Hungerus* in Colloq. Ratisb. Sefs. 2. Ejufmodi infantes qui fine baptifmo decedunt, non falyantur, *Quod eft fides Catholica*. *Petrus Martyr* in Loc. Com. pag. 1519. confugit ad Abfolutum decretum, dicens : Si puer non circumcifus fuit prædeftinatus ad vitam æternam, fervari potuit, fi quidem gratia Sacramentis alligata non eft : fin autem vas erat à fummo fictore ad iram conditum, utiq; condemnatus, nec conqueri poffumus de Dêi feveritate. Verùm ubi nulla eft lex, ibi etiam nulla prævaricatio, jam verò mafculis ante octavum diem denatis, non erat data illa circumcifionis lex, ergo Deus in cafu neceffitatis, immediata fua virtute in illis operatus eft, regenerationem, cum Sacramenta non fibi, fed nobis dederit, & eadem infantium non baptizatorû (absq; contemptu fcil.) ratio eft, ut antea dictum.

*Mandata Dêi
etiam feveriffi-
ma non raro
violantur.*

¶ Difcas hîc nihil à Dêo tam feverè interdictum vel mandatum unquam effe, quod non fit temerè multoties violatum : prohibuerat Altiffimus fub falutis periculo, ne differretur circumcifio ultra octavum diem, fed ipfe *Mofes* cur violavit hoc mandatum in gratiam fuæ Ziporæ ? *Exod.* 4. cur *Turcæ* ex die circumcifionis octavo fecerunt annum octavum ? *Judæi* hodierni cur ægrotorum puerorum circumcifionem differunt, donec convalefcant ? Item, die nebulofo & Borea non flante, cur docent intermittendam circumcifionem, perfuafi, propter illius venti defectum, fpacio 40. annorum omiffam in deferto fuiffe circumcifionem, *Buxtorff. Syn. c.* 2. Imò Baptifmus noster, qui circumcifioni fuccellit, cum parvulis utrum perfecte jam egreffis fit ftatim neceffa-

rius.

rius, cur è nonnullis differtur parentibus ad aliquot septimanas & menses, non sine insigni periculo & contemptu illius, qui dicit: *Sinite parvulos ad me venire, & ne impedit illos*, Marc. 10. IV. Cui corporis membro compete-
 bat circumcisio? *praputium* sive *membro seminario*, cujus cuticulam præcisam putat Lyra in *Idololatria detestationem*, cum illam partem honorarint gentiles, in sacris Priapi, qui ob membri virilis magnitudinem in Deorum numerum sit relatus & hortis Chanaan præpositus. Lombardus dicit, in seminario factam circumcisionem, quod nullo membro tot peccata committantur, quam hoc ipso, sed ex corde annon omnia proveniunt peccata, & linguâ fortassis plura committuntur peccata, quam hoc membro: Philo etiam 4. causas ponit cur præputii caro sit præcisa, 1. ut caveatur morbus, qui *phimosis* dicitur eo, quod præputio ita arctè obligatur glans, ut cute suâ renudari nequeat. 2. ut totum corpus sit mundius, 3. ut major sit fœcunditas, cum resectum præputium seminis ejaculationem minus impediât, & 4. quod huic particulæ aliqua sit similitudo cum corde, & significet sensuum interiorum purgationem, unde patet Philonem per præputium intelligere non cuticulam saltem externam, sed ipsam glandem in membri virilis extremitate positam. Sed hæ rationes nimis frigida sunt, investigandæ itaque aliæ. Non præscindendum erat Judæis aliquid, *vel de capillis*, qui auro non rarè involvuntur & argento: *vel de auricula*, cui gemmæ appenduntur & margaritæ: *vel de digitis*, qui annulis exornantur preciosis: sed de præputio, aut de originali fœditate admoniti se ipsos agnoscerent rectius, 2. ut semper expectarent Messiam ex ipsorum semine oriundum, 3. ut commonescerent de seminis reverentia & abusu vitando, 4. ut perpetuè de vitiorum absectione & abjectione cogitarent, cum circumcisio signum fuerit exuendæ vetustatis, juxta Athan. ¶ Discamus hîc quam delicatè jam in N. T. Deus nos tractet, Circumcisio olim *onus* erat *omniù* *stabile*, & Sacramentum adeo lachrymosum, ut viri etiam robusti dolorem hujus sectionis die demùm tertio senserint exactius, Gen. 34. v. 25. impediabantur diu satis ab itinere, Jos. 5. & Zipora sui attendens dolorem circumcisi filioli, Moysen nominat *Sponsum sanguinarium*, Exod. 4. v. 26. jam vero in N. T. aliquot saltem aquæ guttulis nostri asperguntur infantes, & ita totum expeditum est negotium, agnoscamus hunc Dei erga nos favorem, & tanquàm ardentius amemus *delicatum* illud *sacramentum*, baptismum scilicet, quæ Lutherus meritò dicit: *lucundam regni cælorum puerperam*, & Neander:

De præputio.

Delicatè Deus
 N. T. infantes
 tractat.

*Causa instituta
circumcisionis.*

Christi brachia & osculum. V. Cur instituta circumcisio? Fuit (1.) ordinarium medium, per quod Judæi inferebantur gratiofo foederi inter Deum & Abrahamum posterosq; ejus initum, & quia illi foederi includebatur promissum Semen (Christus, Gal. 3. v. 16.) in circumcissione Judæis collatum, applicatum & obsignatum est universum Christi meritum, *quod ipsis profuit, antequam fuit.* Pastor (2.) annon suas peculiari signo notat oviculas? princeps annon aulicos omnes ornat unius coloris vestibus? at Judæi oves erant & verus veri Dei populus, per circumcissionis itaque ritum, colorem, & ut Paulus loquitur, *maceriem*, Ephes. 2. v. 14. Judæi separati sunt ab aliis populis, Levit. 20. vers. 26. idque ideo ut certo constaret, ex qua gente expectandus esset Messias, nempe ex femine & sanguine Abrahæ, Genes. 22. v. 18. Adhæc (3.) circumcisio non muta fuit actio, sed hoc ritu admonebantur Judæi partim: de ira Dei adversus peccatum, quod videlicet omnes homines in peccatis concepti & nati digni essent, ut ceu putrida carcinomata, abscinderentur & à facie Dei abjicerentur, *das war eine Geseß Predigt.* Partim etiam Judæi in circumcissione admonebantur: de gratia Dei propter Christum conferendâ credentibus, digni equidem omnes iræ Dei filii essent, ut ipsis statim cervix frangeretur, vel ipsa etiam gula abscinderetur, sed, ob interveniens Messiae meritum, extrema saltem præputii cuticula vulneratur, & adhibet Lutherus simile de malefico, jam jam capite plectendo, qui tamen, per intercessionem filii Regis liberetur, & in rei memoriam ejus externa saltem cutis, gladio vulneretur, pari modo cum Judæis actum, *das war eine Trost Predigt.* Partim etiam Judæi in circumcissione admoniti sunt, de interna & spiritali circumcissione, quam postea contemplabimur, *das war ein Buß Predigt.* Tandem admonebantur Judæi de calamitatibus patienter, etiam in vera religione & Ecclesia, ferendis, judicium enim plerumque incipit à domo Domini, 1. Pet. 4. hinc licet Judæi sanctus Dei populus essent & acceptum ejus peculium, vulnerati tamen & insigni dolore affecti sunt in circumcissione, *das war eine Creuß Predigt* / ex qua nos etiam discamus crucem Christianorum perpetuum esse comitem, cujus, cum Judæis, *ab ipsa statim infantia* nos non pigeat, bonum enim est viro cum portaverit jugum (crucis) ab adolescentia sua, Thren. 3. v. 27. Tandem VI. num hodieque durat circumcisio? probare hoc volunt Judæi ex voce *Olam* vel æternum, quod circumcisio pactum dicatur æternum:

*Duratio cir-
cumcisionis.*

Cerin-

Cerintus urgebat Christi factum, & decere dixit Christi discipulos, ut Magistro fiant similes, Matth. 10. vers. 24. Alii urgent dicta, Esa. 52. vers. 1. ubi dicitur in regno Christi *nec immundum fore, nec incircumcisum*, Item Ezech. 44. v. 9. ubi dicitur quod templum novæ Hierosolymæ ingredi debeat nullus *incircumcisus corde, & incircumcisus carne*. Alii urgent exemplum Pauli, qui Timotheum circumcidi permiserit, Act. 16. Resp. breviter: 1. Distinguendum inter *foedus & foederis signum*, *foedus* æternum utique est, si autem *foederis signum* circumcisio simpliciter æterna esset, etiam in vita æterna duraret, certum itaque est, in signo *foederis Olam* notare *perpetuitatem finitam*. 2. In Cerinthi discursu, simus CHRISTO similes ea in re, de qua Matth. 10. loquitur, *hoc est in cruce & calamitate*, aliàs circumcisus est CHRISTUS, non ut circumcisionem ad nos propagaret, sed potius, ut eam, ceu umbram, aboleret, Coloss. 2. Galat. 5. 3. Prophetæ loquuntur de circumcisione, non carnis sed cordis, & licet Ezechiel utramq; conjungat circumcisionem, describit tamen, more Prophetarum res Novi Testamenti, *nominibus rerum V. T.* propter typum, hoc sensu: Neminem fore Ecclesiæ Christi membrum, nisi & carne & corde circumcisus, h. e. nisi conversus, renatus & baptizatus. 4. Paulus admisit circumcisionem propter Judæos infirmos, ut ceremoniam *liberam* in Timotheo, noluit autem, ut rem, juxta Pseudo Apostolorum sententiam, ad salutem *necessariam*, admittere in Tito, Gal. 2. v. 3. Licet autem hodie circumcisio nos non concernat, carnalis scilicet & externa, interna tamen & spiritalis, fundata, Matt. 10. v. 16. 30. v. 6. Rom. 2. v. 28. &c. adhuc durat, præscindit hortulanus ramos arborum sylvestres, amputat vinitor racemos & pampinos superfluos, pater familiās pyra & poma à putredine liberat, Chirurgus putridum etiam membrum ense secat, *ne pars sincera trahatur*, Circumcisio Nos circumcidamus *Cor*, ne ebulliant pravæ cupiditates, Matth. 15. *Lin-* spiritalis.
quam ne loquatur blasphemiam, Psal. 52. *Aures* ne obturentur, Psal. 95. *Oculos* ne videant vanitatem, Psal. 119. *manus* ne furentur, Eph. 4. *pedes* ad malum ne properent, Prov. 6. &c. quia circumcisio est, alia *literæ* & alia *spiritus*, alia *carnis* & alia *cordis*, alia *externa* & alia *interna*, alia fit *hominum manu & ministerio*, & alia *sine manibus virtute Dei*, alia profuit *suo tempore*, & alia prodest *omni tempore*. Cæterum Papistæ circumcisionem externam referunt ad suos Monachos ita, ut Bernh. Sermon. 1. dicat. *Optimè circumcidit nos, & superflua refecat universa: Voluntaria paupertas,*

pœnitentia labor, & regularis observatio disciplina. Item Hugo in Lucam: *Circumcisio superfluum est claustratum, qui omnia temporalia à se abiciunt & nihil proprii retinent.* Ardentius etiam dicit *moralem sive spiritualement circumcissionem fieri, quando abjicimus non tantum vitia, sed & superflua: refecimus, inquit, fratres, superfluitatem curarum, divitiarum, deliciarum, possessionum vestimentorum, laborum, viarum, & rerum secularium omnium, solis contenti necessariis.* Verùm circumcisio spiritualis, si quidem Deo placere debeat, fiat *cultero spiritus* h.e. instituatur juxta verbi divini præscriptum, suppositicia autem illa Monachorum circumcisio verbo Dei planè destituitur, sitque cultris merè electitiis, unde certissimum, quod Deo non placeat, juxta dicta, Esa. l. v. 21. Matth. 15. v. 9. Tantum de circumcissione Judæorum. ¶ Pergamus ad circumcissionem Christi, quæ quia in præputio peracta quæsiuerunt Scholastici, cur hoc generationis *membrum* assumere voluerit Christus, cum tamen nunquam vel *generarit* veletiam *generare debuerit*? Sed frivola hæc quæstio est, cum membri hujus alius etiam usus sit in corpore humano, cum requiratur ad integritatem masculini corporis, cumque Christus omnia humana corporis membra assumeret, non tam ad suam necessitatem, quàm ut nobis per omnia fieret similis. Quæsitum præterea est, ubi manserit præcisum Christi præputium, cum Judæi alii vel in terram illud defoderint, vel, referente *Bünningio*, serpentibus devorandum objecerint, in signum, seductionis hominum per infernalem serpentem factæ? Christi præputium putant Pontificii à parentibus ejus reservatum, unde hodieque, inter reliquias Pontificias colitur, at, more solito, in diversis locis, ut *Antverpiæ, Aquisgrani, Bizantii, Charrovii in Gallia, nec non Romæ* in quodam Sacello *S. Iohann. Lateran.* ubi adscripti versiculi:

Circumcisa caro Christi, sandalia clara

Ac umbilici viget hic præcisio chara.

Verùm, ut consensum Papistarum observes, Eccius hom. 2. de circumcis. statuit, Christum præputium suum servasse à corruptione illæsum, illudque resumsisse in resurrectione, cum corpore resurrexerit omnino perfectio, eoq; egregiè confutari putat Eccius Judæos, qui gloriantur se in universali resurrectione habituros peculiare aliquod *signum*, per quod eos Deus agnitus & condemnaturus sit omnes alios, qui hoc signo, circumcissione scilicet, careant. Respondet Eccius: *Judæi resurgent præputiati, quia ut viri perfecti resurgemus, testante Paulo,*

Eph. 4.

*Circumcisio
Christi.*

*Præputium
Christi.*

Eph. 4. nemo autem sine præputio nascitur, quoniam hic esset error & defectus naturæ, itaque & Judæi in die novissimo resurgent in circumcisi, quis autem non videt, ejusmodi quæstiunculas sollicitudinem in otio nimis negotioso, redokere. ¶ Tractemus itaque meliora, & quoniam nobilissimam illam quæstionem, *cur Christus voluerit circumcidi*? id institutum hoc erat Sacramentum pro Creaturis, pro hominibus, pro peccatoribus, pro legi subjectis, pro promissioni inclusis. At hic circumciscus dicitur, non creatura, sed Creator, non homo sed Deus, non legi subjectus sed legis Dominus, non promissione indigens, sed ipse promissus, id quod in tantum admiratur D. Bernh. ut dicat serm. 3. de circumcis. fol. 9. *Quid est circumcisio, nisi superfluitatis & peccati indicium, in te autem Domine Iesu, quid est superfluum quod circumcidatur? Nonne tu verus Deus es de Deo patre? homo verus sine peccato de virgine matre? quid facitis circumcidentes eum? putatis quod possit super eum cadere illa sententia: Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit anima ipsius de populo suo? utique hic infans Deo patri gratissimus esset, si maxime circumciscus non fuisset. Sed recte sibi ipsi respondet Bernhardus: Et si non eguit, voluit tamen, circumciscus est propter quod natus est, propter quod passus est, nihil horum propter se, sed omnia propter Te, & quidem Bonaventura in 4. sent. dist. 3. quæst. 5. art. 1. Num. 49. tres circumcisionis Christi causas ponit: in fidei argumentum, verum enim hominem se probavit, 2. in humilitatis exemplum, Dominus enim legis legi se subjecit 3. in legis complementum. Lyra autem in c. 2. Lucæ septem causas ponit, quæ ut ex Aquinate p. 3. q. 37. art. 1. desumtæ sunt, ita contemnendæ non sunt: Dicit Lyranus circumciscum Christum, 1. ut ostenderet, in se veritatem carnis humanæ, contra Manicheum, qui dixit ipsum habuisse corpus phantasticum, & contra Valentinum dicentem, Christum corpus de cælo attulisse, consentit Theophylactus. dicens: *quomodo circumciscus esset, si apparenter tantum incarnatus esset, vel carnem ex supernis detulisset.* 2. Ait Lyra circumciscum Christum, ut approbaret circumcisionem, quam Deus olim instituerat: Consentit Augustinus, cum enim Faustus Manichæus & circumcisionem & totum V. T. malo Deo assignaret, confutavit hunc errorem Augustinus libris 33. integris, illud potissimum argumentum urgens, *quod Christus sua circumcissione confirmavit antiquum illud Sacramentum, ut plane divinum.* 3. dicit Lyra, Christum circumciscum: ut ostenderet se esse de genere Abraham; consentit Paulus semen illud Abraham promissum expressè Christum esse affirmans, Gal.*

*Cur Christus
voluerit cir-
cumcidi.*

3.v.16. 4. Dicit Lyra, voluisse Christum circumcidi: Ut Judæis tolleretur excusationem, de non recipiendo eum, si circumciscus non esset; consentit tota scriptura, docens, Judæis neminem magis exosum fuisse, quam incircumciscum, ut igitur Paulus circumcidi iussit Timotheum, quo inter Judæos majori cum fructu versaretur, Act. 16. ita & circumciscus Christus, aptus circumcisionis minister factus est, Rom. 15.v.5. 5. Ait Lyra, Christum circumciscum; Ut obedientiæ virtutem suo nobis commendaret exemplo, præceptum legis observans, cui tamen non erat subiectus. Consentit scriptura obedientiam optimam nominans reverentiam, 1. Sam. 15. & certum est, Christum non tantum suo merito nobis profuisse, sed etiam suæ obedientiæ exemplo nobis reliquisse *ὡς ἡμεῖς*, ut ejus in istamur vestigiis, 1. Pet. 2.v.21. 6. Dicit Lyranus, Christum circumcidi voluisse: Ut qui in similitudinem carnis peccati (Rom. 8.) venerat, remedium quo caro peccati sueverat mundari, non renueret, mundabatur autem tunc temporis caro peccati per circumcisionem, sanctum illud regenerationis medium & remedium, voluit itaque videri Christus, quod non erat, nempe peccator, 2. Cor. 5. 7. Circumciscus est Christus, juxta Lyranum: ut legis onus in se sustinens, alios à legis onere liberaret, consentit Paulus, Gal. 4. v.5. & 5.v.3. ¶ Discamus hinc sanguinem Jesu Christi filii Dei, hodie primò fufum, emundare nos verè ab omni peccato, 1. Joh. 1. sanguis turturis dicitur pellere epilepsiam, nos dicamus: *Sanguine de Christi mihi guttula sufficit una*, excipiamus hodie preciosissimas preciosissimi hujus sanguinis primas guttulas, fluit enim in circumcisione *sanguis obsequii*, cum Jesus pro nobis exsolvat, quod non debuit, Psal. 69. v.5. fluit hodie *sanguis testimonii*, docens Jesulum & verum hominem carne, 1. Tim. 3. v.16. & verum Iudæum stirpe esse, cum non angelos, sed Abrahæ semen assumeret, Heb. 2.v.16. fluit hodie *sanguis immensi precii*, emti enim magno sumus precio, 1. Tim. 6. circumcisi scilicet Iesuli, qui sanguine testamenti vinctos suos emisit de puteo, in quo non est aqua, Zach. 9.v.11. fluit hodie *sanguis efficacissimi remedii*, de quo Bernhard. serm. 3. in circumcis. D. colum. 66. *quid mirum, si caput pro membris accipit curationem, dolet caput & in brachio sit sechio, dolent renes & sit in tibia*, ita hodie pro totius corporis putredine, cauterium quoddam capiti infixum est: medicina matri adhibita vel nutricia, sobolem sanat, quidni prodesse nobis vulnera & sanguis illius, qui plusquam mater nos diligit, Esa. 49? *ut sanaretur vulnus phrenetici,*

Guttula sanguinis Christi.

fusus

fusus est sanguis medici. Imò funditur hodie sanguis certissimi patii & promissi, cum circumcisio nihil aliud sit, quàm futuræ passionis quædam representatio, sol in ortu rubicundus imbrem significat subsequentem, at justitiæ ille Sol, Mal. 4. hodie sanguinolentus oritur, certum itaque est in passione subsequendum copiosissimum sanguinis imbrem, unde Bernh. serm. 1. de circumcis. fol. 18. *quidni obmutesceret coram circumcidente, qui coram tondente obmutuit, coram crucifigente siluit?*

Et vocatum est nomen ejus.] Infantibus certa imponere nomina, mos neque Ethnicus neque Papisticus, sed longè antiquissimus est. Primum hominem ipse Deus *Adamum* dixit, ab Adamo dictus est secundus homo *Eva*, ab his porro, aliisque parentibus nominati sunt liberi, usque ad circumcisionem, in qua, quia *Abrami* nomen mutatum erat in *Abrahami*, hinc mos inolevit apud Judæos, ut ipsorum liberis nomina in circumcissione imponerentur: & nominabantur, alii quidem à cognatione, sicut *Elisabethæ* vicinæ Johannem, à patre suo, Zachariam dicere volebant, Luc. 1. alii nominabantur ab eventu, sicut *Moses* dicebatur extractus & liberatus, ex aqua scilicet, Exod. 2. alii nominabantur, à tempore, sicut *Moses* filios suos dixit, unum ab exilio suo *Gersonem* sive peregrinum, alterum verò ab auxilio divino *Eliezerum*, Exod. 2. nonnulli denominati sunt à quadam sui corporis qualitate, ut *Esau* à ruffo colore & corpore hispido, Gen. 35. denominabantur alii à bona parentum spe & expectatione, sicut *Naemi* filium *Ruthæ* & *Boas* nominat: *Obed*, servum Domini, Ruth. 4. &c. *Jesus* autem dictus est Servator noster, ex angelica revelatione, ut postea dicemus. Cum autem Judæi in circumcissionis Sacramento denominati sint, procul dubio ideò, ut scirent se certò circumcisos, ita etiam Christiani suos in Baptismo liberos nominant, ut certò sciant se baptizatos, imò ut *Danieli* & sociis in Babylone nomina immutata in servitutis signum, qui jam novo regi essent addicti; ita & nostra indicant nomina, post baptismum, summo nos Regi æterno credere esse obstrictos. ¶ Observa autem hic, I. Pontifices malè nomen, in baptismate susceptum, immutare, ita ut timidulus dicatur post Pontificiam dignitatem, *Leo*; maledictus *Benedictus*; maleficus *Bonifacius*; demens *Clemens*; inurbanus *Urbanus*, &c. Cum enim Salvator noster nomen in circumcissione semel sibi impositum semper retinuerit, etià in actu summo summi sui Sacerdotii, hoc est in cruce, ubi titulus habebat: *Iesus Nazarenus Rex Iudeorum*, cur priora nomina Pontificibus, in

Judeorum Nomina.

Pontifices malè sua mutant nomina.

Sacerdotali vel papali munere, sordent? equidem divinitus, immutata sunt nomina *Abrahamo, Sara, Iacobo, Iosua, &* aliis, sed quid hoc ad ineptam Pontificum *καὶ ἑλίου*, quæ nec mandatum, nec promissum, nec in sanctis exemplum habet? *Saccus* certè *Domin. Oculi*, meminit alicujus, qui cum in Baptismo *Crispinus* dictus esset, seipsum postea *Christianum* nominavit, indeque tam periculosè est tentatus, ut conquestus semper sit, se à Diabolo, in muscæ formâ, obsessum; Gaudeamus itaque quod nostra nomina, per Baptismum nobis assignata, in cælis scripta sunt, **LUC. 10.** ¶ **II.** Nomina sunt aliquid, tu nomina spernere noli, conveniunt rebus nomina sæpe suis, hinc Patres liberis in circumcissione pulchra imposuerunt nomina, sicut & Maria ac Ioseph suo filiolo, & sanè quilibet nostrum attendat, ut suo nomini virtute & moribus satisfaciat, dictus es *Ioannes graciosus*, ne fias *Saturnus morosus*: dictus es *Christophorus*, ne fias dæmonem in corde ferens *Sardanapalus*: dictus es constans *Petrus*, ne fias levis *Iudas & Ecebolus*: dicta es *Anna*, ne fias *Gehenna*, dicta es *Catharina*, ne fias *Dina*: dicta es *Margareta*, ne fias *Mara* &c. Sed pulchrum nomen sequatur etiam pulchrum omen, & dicetur nobis: *Noli timere, nomine tuo te vocavi, &c. Esa. 43. v. 1.*

Nomen ejus Iesus.] Cum hoc sit nomen illud super omne nomen, *Phil. 2.* videamus, 1. ejus significationem, 2. ejus præstantiam, 3. fugiendum ejus abusum, 4. usum ejus legitimum. Significationem nominis hujus sacrosancti quod attinet, multi quidem non infeliciter luserunt in literis dicentes Iesu nomen idem esse, quod: *In Eo Solo Venit Salus*, vel: *Iesus Ego Sum Vester Sempiternus*, vel: *Immensus, Æternus, Super Vniversum Sedens*, vel: *I. Iucunditas mærentium, E. Eminentia humilium: S. Sanitas languentium: V. Vbertas indigentium: S. Suavitas quiescentium.* vel Germanice: *Ich Erlöse Sündler Vnd Sündlerin* / aut: *In Einem Stehet Unser Seligkeit* / & retrò, *Solche Unser Seligkeit Erwirbt Iesus* / sed quis non videt jucundum ingeniorum lusum? Alii itaque putarunt Iesu nomen Græcum esse, ab *ἰατρον* curo, ut ita *ἰησὺς* sit quasi *ἰατρός* Medicus, & verè Iesus Iehova medicus noster est *Exod. 15.* clamans: *Venite ad me omnes, puer, senex, matrona, mas-dabo vobis res plurimas-damno medebor omni.* Alii autem cum viderent Iesu nomen Hebræum esse, varias quæsiiverunt notationes, nonnulli (1.) deduxerunt à nomine illo Dei essentiali *IEHOVAH*, & facilis est lectio, si modo *W* inferatur, undè quidam dixerunt Hebraistæ, nomen Iehovah antea ineffabile, in nomine Iesu, ob infertum

Bonum nomen,
bonum omen:

fertum Schin, factum esse effabile: Sed Iehovæ nomen ut omnibus tribus Deitatis personis competit, ita nomen Iesu secundæ tantum impositum est, & differunt etiam radices, cum Iehovah ab *Haya* h. e. fuit vel extitit, Iesus vero à *Iascha* derivetur, ut jam dicemus; adhæc literæ planè sunt diversæ, Jehova enim scribitur יהוה Iesus verò his 4. planè diversis: יֵשׁוּעַ Alii (2.) volunt nomen Iesu compositum ab *Iscb* & *Iehova*, vir Dominus, ut ita describatur admiranda persona nostri *θεωθεϊος*, sicut etiam Eva de Caino dixit: *posse virum Dominum*, Gen. 4. Alii (3.) iterum nomen Iesu componunt, ex Iehova & *שׁוּא* *Schuag*, Salus Domini, sicut etiam Iacob dicit: *Expecto Salutare tuum Domine*, Gen. 49. nec in alio quoquam *salus*, quam in nostro Iesu Act. 4. Alii (4.) deducunt à *שׁוּא* *Iesch*, h. e. essentia vel substantia, & ita Iesus idem esset, juxta Capnionem, quod *Statius*, nulli cedens hostium: sed ut ut hæc jucunda sint, vera tamen nominis Iesu derivatio est, à *שׁוּא* *Iascha*, salvavit, opitulatus est, unde angelus: *Vocabis Salvatorem, quia salvabit populum*, Matth. 1. Salvator itaque Iesus est, & quidem κατ' ἐξοχὴν: *Salvator unicus*, Act. 4. v. 12. 1. Tim. 2. v. 5. Heb. 9. v. 12. Esa. 63. v. 2. *Salvator catholicus*, 1. Joh. 2. v. 1. Act. 10. v. 43. *Salvator absolutus*, salvat enim ab omni peccato, Matth. 1. v. 12. mundat suo sanguine ab omni scelere, 1. Joh. 1. v. 7. *ejus pietas omnem omnium criminum quantitatem & numerositatem excedit*, Bernh. serm. 1. in vigil. nativ. salvat *absolutissime* (παντελής) eos qui per ipsum ad Deum accedunt, Heb. 7. v. 25. non tantum incipit, sed & absolvit nostram redemptionem, ut ἀρχῆς καὶ τελείωσις τῆς πίστεως, Heb. 12. v. 7. ¶ Observa hic Christianos non dedecere grammaticam, cum angelus Domini hic grammaticum egerit & nomen Iesu exposuerit, nec Christianæ religioni contrarium est Epicteti illud: ἀρχὴ παιδείσεως, ἡ τῶν ὀνομάτων σκέψις, principium disciplina sive doctrina est contemplatio vocum, unde circa nomen Iesu, malos oportet esse grammaticos, magnos illos Jesuitas, qui in omnium quidem librorum suorum frontispicio ponunt suum illud signetum: IHS, cum super impositâ cruce, sed cum aspiratio H. neque apud Græcos neque apud Hebræos in nomine Iesu reperiatur, perperam pro Iesus Jhesus Esauitæ scribunt, vide Disput. Gerh. in hod. E. quæst. 8. §. 1. Nos eo majori diligentia linguas excolamus cum sine illis ne titulum quidem crucis Christi

Christianus
non dedecet
Grammaticus

Die Herrn Jesu
sitten möchten
ihr Signet
wolendern.

Nominis Iesu
præstantia.

intelligamus, & animadvertit *Isidorus Clavius Brixianus* in utroque Testamento octo millia vitia, ex neglectu linguarum orta, sed de his alibi. II. Pergamus ad nominis Iesu præstantiam, & meritò illud dicitur, I. Nomen ob antiquitatem venerabile, licet enim *Esa. 62. v. 3.* dicatur: *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini declarabit*, ibi tamen de Ecclesia propriè agitur, si autem quis de Christo Ecclesiæ capite intelligat nomen Iesu novum est, & ratione impositionis ab angelo novo modo factæ, & ratione significationis, cum hic non vulgare & temporaneum, sed æternum, spirituale & cœlestem notet Salvatorem, aliàs nomen Iesu etiam in V. T. Prophetis non fuit incognitum hinc, *Gen. 49. v. 10.* quando Jacob de suo vaticinatur *Siloh*, tria ponuntur verba: *Iabo, Siloh, Velo*, ex quibus Rabi *Hacadosch* initiales literas sumit, & dicit Messiam nominandum: *Jsu*, & *v. 17.* illius capitis dicit Jacob se expectare *Ieschua Domini*, *Chaldæus* vertit: *Redemptionem Christi filii David, qui venturus est, &c.* *LXX:* *σωτηριαν*, *Salvationem expecto.* *Thargum:* *Anima mea respicit ad redemptionem* VERBI. Allegant hic alii dicta, *Habac. c. 3. v. 18.* In Domino exultabo, *Exultabo in Deo Iesu meo*, *Esdra. l. 4. c. 7. v. 28.* ita Deum patrem loquentem introducit: *Revelabitur filius meus Iesus, cum iis, qui cum eo laborabuntur*, ad quæ *Ambrosius*: *Sic Dominus noster Iesus nominatus est antequam natus, cui non angelus sed pater nomen imposuit*: imò ubicunque in vulgata versione vel *Salutis*, vel *Salvatoris*, vel *Salvandi* vox habetur, ibi nomen Iesu in V. T. latet, vide, *Psal. 69. v. 21.* *Esa. 45. v. 8. 49. v. 6.* confer *Galatin. l. 3.* de arcanis verit. *Cathol. c. 20.* II. Nomen Iesu est mirificum sive admirabile, cum Apostoli in hoc nomine omnia sua miracula ediderint, *Marc. 16. v. 17.* *Act. 3. v. 6. 9. v. 34. 16. v. 18.* *Arsatio* cum magno furore obsessus quidam occurreret, stricto armatus gladio, & verò ille nomen salutem Iesu pronunciaret, pulsus est dæmon, & obsessus abjecto gladio, ad *Arsatii* pedes placidè refedit, *Sozom. l. 4. c. 16.* *Antiochena* urbs cum horribili terræ motu concuteretur, & ædes plurimæ paterentur ruinam, pius quidam vir edoctus est, hæc verba ædibus adscribenda: *Iesu nobiscum, state*, & ædes hac inscriptione notatas non concussas esse refert *Niceph. l. 7. c. 3.* Hæc & multa alia *Chrysologus Serm. 144.* his completitur: *Hoc nomen dedit cæcis visum, auditum surdis, claudis cursum, sermonem mutis, vitam mortuis, totamq. Diaboli potestatem de obsessis corporib. virtus huius nominis effugabit.* III. Nomen Iesu est valdè jucundum & delectabile, *Paulus* certè hoc nomine usque adeò delectatus est, ut vicibus vel 500. in suis Epistolis

stolis illud repeterit. Galatinus l. 3. c. 20. dicit: *Nomen Iesu cum pronuncio, totum os meum mirâ suavitatis repletur.* S. Bernhârdo hoc nomen erat *mel in ore, melos in aure, & júbilus in corde*: alibi hoc nomen omnibus ille sensibus accommodat dicens: *Iesus speculum visui, mel gustui & Cythara auditui, balsamus olfactui, flosq; delectabilis tactui.* Sponsa Christi hoc nomine usq; adeo afficitur, ut dicat: *Oleum effusum nomen tuum*, Cant. i. v. 3. ad quæ Bernh. Serm. 15. super Cant. Verè Oleum, quod lucet predicatum, quod pascit cogitatum, quod lenit invocatum, annon toties confortaris, quoties quidem recordaris? *aridus est omnis anima cibis, si oleo isto non perfunditur: insipidus est si hoc sale non conditur: Si scribas, non sapit mihi nisi legero ibi Iesum: si disputes aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Iesus.* B. Ignatius Joannis Apostoli discipulus plumbatis cæsus, ungulis laceratus, vivisque carbonibus traditus magnum dedit fidei testimonium, &c. dicens: *Nec ignis ardens nec aqua ebulliens, poterit in me Iesu Christi extinguere charitatem.* Ad quæ Imperator Trajanus obstupescens, quis, inquit, Græcorum tanta toleraret pro Deo suo? imò quæsitus Ignatius cur nomen Iesu toties repeteret, respondit: *Hoc nomen cordi meo inscriptum habeo, & ideo ab ejus nominatione cessare non valeo; hinc Ignatii Cor corpore extractum atq; per medium scissum, inventum est habuisse, JESUS CHRISTUS, aureis literis inscriptum, Thom. de Kemp. med. i. de inearn. n. 28. p. 184. ex Vincent. Spec. l. 10. c. 157. idem de B. Clara refertur, quod videlicet imago crucifixi Christi in ejus corde, ex sanguine quasi coagulata, si reperta, quæ tamen an veritati an verò fabulis similiora judicium penes lectorem esto.* 17. Nomen Iesu est *inexpugnabile*, juxta illud: *Hi in curribus & hi in equis, nos autem in nomine Domini.* Psal. 20. v. 8. *Turris fortissima nomen Domini, justus eo confugiens tutus est,* Prov. 18. v. 10. hinc, quando Turcæ peculiare *κλεισμα* habent & pugnas suas incipiunt hoc clamore: *Allab, Allab, allahu, Mahomet Regil allab;* Non est Deus, nisi noster Deus & Mahomet DEI servus, tunc Christianorum milites hostem ut plurimum aggrediuntur hoc clamore: *JESUS! JESUS!* quod quidem *κλεισμα* victoria multoties subsecuta est, sicut & David ad Goliathum dicebat: *Tu venis ad me hastâ, scuto & gladio, ego autem in nomine Domini te aggredior,* 1. Sam. 17. v. 45. & profectò si hostibus terrori fuit nomen *Gedeonis*, Jud. 7. v. 21. & nomen *Davidis*, 1. Paral. 15. v. 17. & nomen *Zisæ* Bohemici illius Herois, Alciat. Embl. 170. qui no-

Türkisch
Selbstgeschrey.

men, quod adorant angeli, tremiscunt Diaboli, latantur inde creduli? Hilar. V. Nomen Iesu est adorabile, nec sine illo nostræ preces dignæ Dei censentur auribus, pertinet huc illud Prophetæ: Quisquis invocaverit *nomen Domini* salvus erit, Joel. 2. v. 32. pertinet huc illud Stephani: Domine Iesu suscipe Spiritum meum, Act. 7. v. 59. Pertinet huc illud Bernhardi: *In cruore tuo lotum me commendo tibi totum, tuæ sanctæ manus istæ me defendunt Iesu Christe, in mortis periculo*, Jesu dein bin ich/mach mich selig/pertinet huc Salvatoris illud: Quicquid petieritis Patrem *in Nomine meo*, dabit vobis, Ioh. 16, 23. pertinet huc illud Selnecceri: *Cor te ploro, te pauper, & orbis adoro, Iesu gnate Dei, sit tibi cura mei*: pertinet etiam huc illud Ecclesiæ: *Ad te cor & vultu*—Deus contritione flectimus—peccata nostra subleves—pœnas benignus mitiges—auditionē sedulus promittis invocantibus—ob filii sanctissimi—nostri patroni vulnera, Im Namen deines Sohns Jesu Christ/ &c. quo etiam nomine, omnes aliæ Christianorum preces concluduntur, juxta illam Orationis Dominicæ clausulam: *Amen, petita sint rata, fidem nostram corrobora, quo fluctuemus hic minus, quæ supplices rogavimus, in nomen & verbum tuum dicamus Amen ultimum, Aufß dein Wort in dem Namen dein/ &c.* Tandem VI. nomen Iesus est *salutare*, intellexit hoc Petrus, ideo in hoc nomine rete suum laxans, piscium magnam conclusit copiam, Luc. 5. v. 5. respicit eò Paulus, dicens: Quodcunque facietis in verbo aut in opere, *in nomine Iesu Christi* Domini nostri facite, gratias agentes Deo & Patri per ipsum, Col. 3. v. 17. imò præter nomen Iesu, nullum aliud hominibus datum est, per quod salvari possint, Act. 4. v. 12. Nota ergo, quod nomen Iesu est *admirabile*, quia Dei altissimi: est nomen *delectabile*, quia patris benignissimi: est nomen *utile*, quia medici probatissimi: est nomen *terribile*, quia iudicis severissimi, Bonavent. Serm. 25. III. Quo res preciosior est, eo magis abusui obnoxia est, videamus ergò *varium sanctissimi nominis Iesu abusum*: Et primum hîc meritò locum obtinent *Iudæi blasphemî*, qui ex innato odio Servatorem nostrum non *Iesum*, sed *Ieschu*, h. e. *mendacem & impostorem* nominant, ad sanctissimum etiam nomen à Christianis pronunciatum, ter dicuntur exspuere, his additis: *Deleatur nomen ejus!* sed exspuet eos vicissim Iesus noster ex ore suo, Apocal. 3. v. 16. Iudæis hoc loco meritò (2.) succedunt *Venefici & Incantatores*, qui omnes ferè conatus suos, hoc nomine, blasphemè nimis incipiunt, audias in Satanica hac schola fluxum sanguinis his adjurari: *See sanguis in tua vena, sicut Iesus in sua pœna, &c.* imò audias etiam ægrotas

III.
Nominis Iesu
abusus.

oves his curari: Du liebes Schaff hastu dich verfangen/ Der liebe Jesus ist für Dich am Creutz gehangen/ Jesus ist umb deiner willen kommen auff Erden/ Nun wirstu wieder zu passe werden/ hæc & similia alia refert Saccus noster, hom. 2. in hodie. Evang. quem omnino vide. Incantatoribus merito hæc (3.) succedunt & Iesuati, quorum ordo cœpit A. 1366. & Iesuitæ, quarum fraternitas excogitata, A. 1535. Utrique enim hi sectarii, licet à Iesu nostro suum sint sortiti nomen, nos tamen scimus, in Servatore nostro unico, sanctissimum nomen Iesu ita esse elatum & exaltatum, ut nulli deinceps Creaturæ competat, est enim nomen super omne nomen, Philip. 2. imò ut Iesus noster redemptionis torcular solus calcavit, Esa. 63. ita etiam nomen & gloriam redemptionis alteri non communicat, Esa. 42. hinc Ecclesia in Symbolo dicitur non Iesuana vel Iesuitica, sed Christiana, primi etiam N. T. credentes, non Iesuianos vel Iesuitas, sed Christianos Antiochiæ se dixerunt, Act. 11. v. 26. imò ipsi etiam Scholastici olim quæsiyerunt, cur non à Iesu Iesuani, sed à Christo Christiani dicamur? ratio fuit, quod ungi quidem possumus ut Christus unctus est, non autem possumus salvere, ut Iesus Salvator est, esse itaque nos Christianos in hac vita, ubi per baptismalem gratiam ungimur, fore autem nos Iesuianos & Iesuitas in vita cœlesti, ubi per gratiam plene Salvati erimus, Anton. de Gislendis ex Thom. p. 3. q. 16. art. 5. nimis itaque insolens est nomen Iesuitarum, qui unam quidem cum Iesu nostro Societatem affectant, sed dicetur illis aliquando: à Iesu-ITE, Matth. 7. v. 33. A Iesu Monachi procul & procul ITE prophani! Iesuitas merito (4.) sequuntur Franciscani, qui suum Franciscum Christi crucifixi antitypum quendam faciunt, quia ut Character in cera signum imprimit, ita Christum sua vulnera corpori Francisci impressisse illi in libro Conformitatum Francisci narrant, hinc illi flosculi: Christum in Francisci corpore, ut imaginem in speculo apparuisse: ut Christus sit imago Patris, ita Franciscum esse imaginem Christi: imò Franciscum Iesum esse typicum, de quo in fronte dicti libri conformitatum:

Francisce Iesu Typice dux norma que minorum

Sedes nobis perpetuè da regna celorum.

imò, ut scias quo Amore Iesus ille Typicus verum Iesum sit complexus, refert Pelbart. Serm. 2. B. Franciscum labra linxisse, quoties quidem nomen Iesu pronunciarit, causam dicens, quia dulcedinem meram gustaret. Franciscanorum (5.) ineptias omnes ferè imitantur Pontificii, nudæ pronunciationi nominis Iesu nescio quæ & merita & miracula adscri-

*Genusflexio ad
nomen Iesu.*

adscribentes, talia sunt: quod Ioannes Papa, xx. dierum indulgentias concessit quoties quis ad nomen Iesu genua flecteret: Quod Ludovicus Rex Galliae triennii indulgentias impetravit, quoties dixit: *Benedictum sit nomen Iesu & nomen gloriosissima Matris ejus*: quod Paulus isto nomine in suis Epistolis quadringenties usus, promeruerit, ut abscissum ejus caput ter Iesus exclamaret, & tres fontes ad trinum capitis Paulini saltum exortos esse, quos hodieq, propè Romam vidimus & gustavimus, laetum quendam gustum habentes, inquit Baron. T.I. annal. pag. 732. &c. Calviniani his abutibus (6.) annumerabunt fortè geniculationem & capitis apertionem, quæ ut plurimum apud nos fit ad SS. nominis Iesu mentionem. Nahumi enim in hoc Festo, *Heidelbergenses* (im nôtigen Bericht/ cap. 10. & alii hanc ceremoniam ideo reprehendunt, quod (1.) non rectè explicemus dictum Pauli, Phil. 2. v. 8. 9. 10. quod (2.) tantum sonum & syllabas in nomine Iesu attendamus; quod (3.) simpliciores ad nomen *Iesus Syrach* genua flectant, qui tamen homo mortalis & peccator fuerit; quod (4.) ad nomen Iesu moveantur omnes, ad nomina vero *Christi, Mediatoris, Patris, filii Dei, Spiritus S.* adeoque SS. Trinitatis moveri neminem; quod (5.) homines, per hunc ritum multoties iteratum, in audienda concione non parum impediuntur, &c. Respondeamus ad hæc objectiunculas paucis: Quod ad primum dicunt, per nomen illud super omne nomen non posse intelligi nomen Jesu, cum illud CHRISTUS acceperit, in statu non exaltationis (de quo Paulus agit) sed exinanitionis, adeoque per nomen illud supra omne nomen intelligendam esse divinam plane eminentiam, majestatem, gloriam & potentiam, nec per genua hic membrum corporis intelligi posse, cum ejusmodi membris cœlestia & subterranea, angeli & demones careant, sicque per genusflexionem intelligendam esse, ipsam subjectionem. Resp. Christum nostrum esse Jesum, in statu non tantum exinanitionis, sed & exaltationis, imò in æternum, Hebr. 13. v. 8. unde licet concedamus, per nomen illud supra omne nomen intelligendam Christi majestatem, potentiam & gloriam, hæc tamen gloria verè divina unica causa est, cur ad nomen Iesu genua flectamus, genua, inquam, non tantum cordis (sic nomino adorationem & subjectionem) sed & genua corporis, quia utrumq; Deo dignum est, reverentia scilicet, & corporis externa & cordis interna, imo cultus aliquis si ex vero & sincero corde profisciscatur, quin per externos etiam gestus sese exerat, nullum est dubium. II. Calvinus

vinus equidem dicit: Plusquam ridiculi sunt Sorbonici Sophista qui ex praesenti loco (Phil. 2.) colligunt genu flectendum, quoties nomen Iesu pronunciat, quasi vox esset Magica, quae totam in sono vim haberet inclusam: Sed Resp. Non dicimus nomen Iesu vocem esse Magicam, nec ejus vis in Sono latet, sed veneramur nos cum sono & syllabis rem ipsam, ut quæ cum voce ista coarctissimè cohæret, Ethnico itaque & Pagano nomen Iesu sit inanis, vanus & vacuus strepitus, mihi autem Iesus ille meus nomen non vacuum aut inane portat, non est in eo magni nominis umbra, sed veritas, Bernh. Serm. 1. de circumcis. fol. 15. Cum nomino Iesum, hominem mihi propono mitem & humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, & omnidenique honestate & sanctitate conspicuum eundemque ipsum Deum omnipotentem, qui suo me & exemplo sanet, & auxilio roboret, hac omnia simul mihi sonant, cum insonuerit Iesus, Bernh. Serm. 15. sup. Cant. f. 125. III. & IV. Si qui ex nostris genua flectant ad nomen Iesu Syracidæ, sit hoc per accidens, ex errore nimirum & incogitantia, nec nobis displiceret, si nostri auditores ad omnia Christi nomina genua flecterent, num ergo abusus & ignorantia ipsum tollet usum? V. Prolapsi sunt in genua Abraham, Daniel, Magi & ipse Christus, quorum devotionem si ritus iste non impedivit, nostrorum etiam hominum intentionem non impediet, sed promovebit potius. Si itaque in Bibliis tuis, Christiane Lector, inveneris, ad nomen Iesu flectendum OMNE genu, adde tu N.B. Excipe Calvinianorum genu, illis enim cum Calvino RIDICULUM est, imò Sophisticum & Sorbonisticum, si quis tale quid faciat. ¶ VI. Deveniamus tandem ad verum nominis Iesu usum, & consistit ille in his, ut (1.) admoveamur nostræ miseriae, si enim sancti & sine peccato essemus, quid nobis opus esset aliquo Iesu & Salvatore, cum autem Redemptorem à peccatis Deus Pater nobis dederit, utique peccatores omnes sumus, Rom. 3. v. 23. nemo dicere potest suum cor mundum & se à peccatis liberum esse, Prov. 20. v. 9. fateamur ergo cum Davide: cum labe natus ecce sum, conceptus & cum labe sum, Psal. 51. v. 7. fateamur nos à Deo nostro separari per peccatum, Esa. 59. v. 2. Si enim dicamus peccatum nos non habere, veritatem non dicimus, & nos ipsos fallimus, 1. Ioh. 1. v. 8. Admoneamur (2.) nomine Iesu de immensa Dei Patris charitate, cum enim nec angelus lapsum hominem, nec frater fratrem poterat redimere, Psal. 49. in Iesum nobis Pater dedit Filium suum unigenitum, quid autem est filium dare in Iesum? est ipsum maledicto legis subicere,

VI.

Verus nominis
Iesu usus.

Gal. 4. est ipsum in mortem tradere ignominiosissimam, Rom. 4. Ipsi ipsi omnia peccata nostra imponere, Esa. 53. quoties itaque nomen Iesu pronuncias, toties gratias agas Deo patri, qui sic dilexit mundum, ut filium suum daret unigenitum, Ioh. 3. Admoneamur (3.) nomine Iesu de summa nostra felicitate, cum nulla species peccati tanta sit, quā non superior Iesus, Orig. c. 15. Ioh. Omnia nobis est Iesus, si curari desideras, Medicus est: Si gravaris iniquitate, iustitia est: Si auxilio indiges, virtus est: Si mortem times, vita est: Si tenebras fugis, lux est: gustate igitur & videte, quam suavis est Dominus, Anshelm. Probè hunc nominis Iesu usum norat Bonaventura, hinc toties exultat in eo dicens: Iesu salutis hostia - salutis sacrificium, Iesu, salutis gratia - salutis beneficium, Iesu tuta fiducia - atque tutum refugium, Iesu largitor veniæ - Iesu solamen tristem, Iesu laus poenitentia - Iesu spes poenitentium, Iesu dulcis memoria - sitibunda dilectio, Iesu dulcis fiducia - lata abunda refectio, Iesu via rectissima - Iesu salutis ostium, Iesu porta tutissima - Iesu protector omnium, Iesu salubris veritas - & lux mentem illuminans, Iesu vitæ felicitas - dulcor in corde jubilans, O bonitas bone Iesu, qui es nostra iustitia, O veritas vere Iesu - qui es nostra scientia, O charitas chare Iesu - qui es nostra redemptio, O sanctitas sancte Iesu - nostra sanctificatio, tu nos à culpis exuas - & vitæ lumen tribuas, &c! Admoneamur (4.) nomine Iesu, ut nostris meritis non confidamus, si enim ex operibus nostra iustitia esset, quid Iesu nobis opus esset? Galat. 2. v. 21. hinc Luth. Postill. domest. Ien. pag. 67. B. pulchrè: Gute Werck sol man zwar thun / aber gute Werck sind nicht Jesus / machen nicht selig / erretten nicht vom Tode / proinde, non nobis Domine, non nobis, sed Nomini tuo da gloriam, Psal. 115. Admoneamur tandem (5.) nomine Iesu de vera pietate, ideo enim in Iesu nostro gratia Dei omnibus apparuit hominibus, ut impietate & mundanis desideriis abnegatis iustè, piè & sanctè vivamus, Tit. 2. v. 11. nulla siquidem communio Iesu & Belialis, iustitiæ & iniquitatis, 2. Cor. 6. v. 14. abscedat ergo ab omni in iustitia, quisquis nomen Iesu nominat, 2. Tim. 2. v. 19.

Quod nominatum est ab angelo.] Piæ hic cogitationes concipi possunt, cur enim Salvator noster Iesus dictus est antequam conceptus est? Quia ipsius meritum retro operatum est, & profuit antequam fuit, ut Patres rectè locuti sunt, indeque & V. T. credentes salvati dicuntur per gratiam, Iesu Christi, æquè ut nos, Act. 15. v. 11. agnus enim Dei occisus est ab initio mundi, Apoc. 13. v. 8. imo Christus Iesus heri & hodie & is in omne seculum, Heb. 13. v. 8. II. Cur Servatori nostro

Iesu

Jesu nomen ter impositum, & quidem ante conceptionem, Luc. i. v. 31. & post conceptionem, Matth. i. v. 21. ut & in hodierna circumcissione: Quia Iesulus noster Redemptor est Catholicus, qui prodest viventibus, & ante, & in, & post ejus in carnem adventum. III. Cur nomen Jesu publicè innotuit in circumcissione demum, cum antea solis parentibus privatim esset revelatum? Quia in circumcissione *publicè cepit operari nostram salutem, immaculatum illum pro nobis sanguinem fundens*, Bernh. Sermon. 2. in circumcis. Dom. IV. Quis fit, quod multi quidem dicti sunt Iesus, sed in tanta tamen multitudine nullum scimus impium Jesum, sed bonus est *Iesus Nave* sive Josua dux ille fortissimus, Syr. 46. v. 1. bonus est *Iesus Bethsamites* ille, reductor arcæ pientissimus, 1. Sam. 6. v. 14. bonus est *Iesus Sacerdos* templi restaurator sanctissimus, Zach. 3. v. 1. Bonus est *Iesus Syracida*, Doctor ille sapientissimus una cum avo, Syr. 50. v. 29. Bonus est *Iesus Iudaus* ille devotissim⁹, Colossenses salutans, Col. 4. v. 11. Bonus etiam fuit *Iesus* ille *Anani* rustici filius, qui instantem Hierosolymorum vastationem annis 7. & mensibus integris magno clamore, nunquam defatigatus prædixit, Joseph. lib. 5. de bello Jud. cap. 12. & profecto mirum hoc, unde Orig. hom. 35. in Matth. f. 86. dicit: *In aliis nominibus justos pariter & iniquos invenimus: Ut Iudas Zelotes Apostolus, Iudas Patriarcha, Iudas Maccabeus omnes laudabiles quidem, sed Iudas Ischarioth proditor: In Genesi inveniuntur ejusdem nominis, & filii pii Seth, & filii impii Caini, ut Enoch, Lamech, Mathusalem, non autem conveniebat tale quid in nomine Iesu, quare? quia hic Iesus, cujus reliqui omnes Typi erant, ἀναμάρτητ⁹ esse debebat & ab omni peccato liber, Heb. 7. v. 26. breviter: Habuit & Iudæa quosdam Iesus, quorum vacuis gloriatur vocabulis, illa enim nec lucent, nec pascunt, nec medentur*, Bernhard. Sermon. 15. in Cant. Iesus Nave corporales tantum, Ios. 10. noster autem Iesus spirituales hostes vicit & pedibus suis subiecit, Psal. 110. v. 2. Ioseph ob frumenti in fame provisionem linguâ Ægyptiorum dicitur: Mundi Salvator, Gen. 41. v. 45. Iesus autem noster non corporalis tantum, sed & spiritualis frumenti adipe satiat nos, Psal. 147. v. 14. 81. v. 17. Iesus Sacerdos filius Iosedeck, Sacerdos quidem magnus & pius, sordidis tamen vestibus indutus erat, Zach. 3. v. 1. 3. At Iesus noster totus pulcher est & candidus, Cant. 5. v. 10. *apprimè quidem sapiens est Iesus Syrach sapientiæ, laudator magnificus, nostro tamen incomparabilis, qui vera & æterna Patris sapientia*, Gerson. Sermon. de circumcis. &c. ¶ Confutabimus hic Iudæos, qui majestaticum Dei no-

*Iehova nomen
non ineffabile.*

men Iehovah non pronunciant, sed illud esse *Schemhamphoras* dicant, hoc est nomen *separatum* adeoque *αἰὲν φωνητὸν*, quod legere quidem at non pronunciare liceat: Sed sacrosanctum illud & augustissimum nomen IESU quid aliud est, quam nomen super omne nomen, Phil. 2. nullo maiestatis divinæ nomine inferius, & tamen hic dicitur, illud nomen ab angelo non hieroglyphicè delineatum vel signatum, sed VOCATUM, h. e. disertis syllabis *enunciatum*, eadem ratio est omnium Dei nominum, quæ ideo multoties revelata sunt, ut ea & annunciemus & pronunciemus, nec *assumptio* vel pronuntiatio, sed *in vanum assumptio* & *prophanatio* nominis divini, in secundo decalogi præcepto est prohibita. Abhorreant itaque Iudæi à pronuntiatione & nominis Iehovah & nominis Iesu, Tu tamen, Christiane anime, annon toties confortaris, quoties recordaris? ad hoc nomen *suspira*, in hoc nomine *respira*, propter hoc nomen non *despera*, sed *spera*, & cum *Anselmo de miseria hominis* his conclude: Iesu, Iesu miserere dum tempus miserendi, ne damnes in tempore iudicandi, qui me creasti, non perimas, qui me redemisti, ne condemnes: qui me creasti tua bonitate, ne perdas opus tuum meâ iniquitate: Rogo piissime, ne perdat meâ iniquitas, quod tua fecit omnipotens bonitas, recognosce benignissime quod tuum est, & absterge quod alienum est: Obliviscere IESU superbum provocantem & respice miserum invocantem. Quid enim est IESUS nisi Salvator? Ergo propter te ipsum IESU exurge in adiutorium mihi, & dic anima mea: SALUS TUA EGO SUM (Psal. 35. v. 3.) Amen.

Dominica post Circumcisionem Domini, Evangelium, Matth. 2.

Digressis autem illis, ecce angelus Domini apparet in somnis Ioseph, dicens: Surge, & assume puerum ac matrem illius, & fuge in Egyptum
& esto